

De P. Ovidii Nasonis filia.

In P. Ovidii Nasonis Vitis et commentariis in eius libros Tristium et Epistolarum ex Ponto vulgo etiam de eius filia commemoratur. quod ne a veteribus quidem, qui operam curamque in eo poeta illustrando atque interpretando posuerunt, est neglectum, P. M. Piscenate, L. G. Gyraldo, I. Pontano, aliis. Sed cum pleraque, quae de ea sciri possunt, non in aperto existant, sed in paucis quibusdam locis quasi abdita atque recondita lateant, veteres illi, qui raro haec minora curiosius inquirerent, pauca de ea prorsus falsa, alia parum certa atque comperta proposuerunt. Quorum peccata tantum abest, ut recentiores Nasonis interpretes diligentiori peruestigatione ipsorum fontium patefecerint atque emendarint, ut in plerisque eos temere sint secuti, aut si qua in re ab eorum auctoritate discesserunt, aequè dubia et incerta attulerint. Itaque non supervacaneus videtur esse labor, omnes locos, qui de Nasonis filia sunt, retractare paulloque diligentius excutere: quum praesertim ea quaestio etiam ad illos Ovidianorum carminum locos illustrandos nonnihil conferre videatur.

Iam primum Nasoni filiam fuisse non est dubium, cum ipse de ea pluribus locis disertissime loquatur, Trist. I, 3, 19. 20., IV, 10, 76. 77., Pont. I, 8, 32., Fast. VI, 219. seqq. Cum autem Ovidius tres deinceps uxores duxerit (Trist. IV, 10, 69. seqq.), quae de tribus illis filiae huius mater fuerit, exquiri unquam posse, plerique iam dudum desperarunt. Verum licet certa eius rei testimonia vetustatis plane desiderentur, pauca tamen exstant vestigia, quae diligenter sequentes, sin

minus explorare veritatem, tamen id, quod maxime probabile est, invenire possumus. Namque Trist. IV, 10., ubi Ovidius de vita sua exponit, haec leguntur:

Filia me mea bis prima fecunda iuventa

— — — — *fecit avum —*;

unde apparet, filiam tum, cum pater in exilium proficisceretur, aut tertio exilii anno, quo liber ille Tristium compositus est, paullo iam proveciore aetate fuisse; quod suspicamur ex illis *prima iuventa*, quae verba, si filia tum, cum poeta ea scriberet, in prima etiam iuventute fuisset, aut non ita pridem pubes esse coepisset, vix commodum haberent sensum. Quum autem Ovidius, quo tempore in exilium ire iussus est, tertiam uxorem *iuvenem* reliquisse se ipse dicat (Pont. I, 4, 47.):

Te quoque, quam iuvenem discedens Urbe reliqui —, satis probabiliter colligitur, ex illa tertia uxore hanc filiam non fuisse. Quod si his dictis verisimile est, aliis poetae locis plane comprobatur. Trist. I, 5., ubi discessum suum ab Urbe describit, de uxore sua illa,

Ultima quae cum ipso seros permansit in annos,

Sustinuit coniux exulis esse viri — (Trist. IV, 10, 73.74.) de tertia igitur haec dicit (v. 97. 98):

Nec genuisse minus (dicitur), quam si natae meumve

Vidisset structos corpus habere rogos. — — —

Iam tertiam hanc uxorem, antequam Nasoni nuberet, nuptam fuisse, atque e priore iam coniuge filiam habuisse, eamque etiam in vivis fuisse, manifestum est ex Epist. Pont. IV, 8., in qua poeta ad Suillum, eius coniugem, haec scribit (v. 11. 12.):

Nam tibi quae coniux, eadem mihi filia paene est,

Et quae te generum, me vocat illa virum —:
et rursus v. 89. 90.:

Tangat ut hoc votum coelestia, care Suilli,

Numina, pro socero paene precare tuo.

Si igitur eadem uxor ex ipso quoque filiam alteram habuisset, non *nataeve* erat dicendum, sed *natarum*, aut aliis illud verbis enuntiandum. Omnis autem de ea re dubitatio tollitur loco altero Trist. V, 5, 49., ubi poeta natalem uxoris suae in Scythia celebrans de una tantum ac non de communi sed de filia uxoris, sua privigna, planissime dicit. verba eius haec sunt :

Illa (uxor) domo nataque sua patriaque fruatur.

Nam quod interpres Germanicus Ovidii Remediorum Amoris, Strombeckius, hoc etiam anno repetiit, naturalem Nasonis filiam ante patris exilium mortuam esse, duo sunt in promptu, quibus eius sententiae levitas prorsus refellitur; quorum primum est verissimum ac plenissimum testimonium ipsius Ovidii Trist. I, 3, 18. 19.:

*Nata procul Libycis aberat diversa sub oris,
Nec poterat fati certior esse mei —;*

cui par gravitate alterum illud est, quod poeta in Vita sua Trist. IV, 10. fratrem et parentes ante infelicem illum discessum suum mortuos dicit, de morte attem filiae, quae ei propior et magis cordi erat, nihil commemorat. Hoc igitur pro certo potest affirmari, non e tertia illa et ultima uxore poetam filiam, de qua quaerimus, procreasse. Quum porro de prima uxore sua, simplicius paullo parumque honorifice, ipse scribat (Trist. I. l.):

*Paene mihi puero nec digna nec utilis uxor
Est data, quae tempus per breve nupta fuit —;*

cum secunda autem, de qua l. l. est :

*Illi successit quamvis sine crimine coniux,
Non tamen in nostro firma futura toro —,*

per aliquod certe tempus coniugali amore atque concordia vixerit, admodum probabile ac prope manifestum videtur, hanc secundam poetae uxorem Ovidiae illius matrem fuisse.

Nuptam eam fuisse, ipse docet Ovidius primum Fast. VI,

219. seqq., ubi ingeniose ac venuste mentionem iniecit illius nuptiarum, his verbis :

Est mihi sitque precor nostris diuturnior annis

Filia, qua felix sospite semper ero.

Hanc ego cum vellem genero dare, tempora taedis

Apta requirebam, quaeque cavenda forent.

Tum mihi post sacras monstratur Iunius Idus

Utilis et nuptis, utilis esse viris.

deinde Trist. IV, 10, 75. 76.

Filia me mea bis prima fecunda iuventa,

Sed non ex uno coniuge, fecit avum.

ex quo loco etiam liquet, maturrime eam nupsisse et cum priorem coniugem aut facto divortio aut, quod verisimilius est, morte amisisset, statim se cum altero coniunxisse brevique tempore de utroque matrem factam esse Sed qui illi coniuges fuerunt? Alterutrum eorum fuisse Fidum Cornelium, senatorem, testis est Seneca de Constant. Sap. c. 17., qui de eo sic habet: *In senatu flentem vidimus Fidum Cornelium, Nasonis generum, cum illum Corbulo Struthiocamelum depilatum dixisset. Adversus alia maledicta mores et vitam vulnerantia frontis illi firmitas constitit, adversus hoc tam absurdum lacrimae prociderunt.* — Sunt quidem, qui dubitent, an ille apud Senecam Naso idem cum poeta sit habendus, quibus equidem assentiri minime possum. Nam quod poeta apud Senecam Naso vocatur, non Ovidius, quo nomine hodie vulgo appellari solet, Ovidius se ipse in Trist., Pont., Amor., Art. Amat. et Remed. Am. plus centies ita appellavit, nec aliter Seneca pater, et Velleius Paternulus, eius aequales, et qui his aetate proximus fuit, Martialis. Accedit, ut ea aetate Nasones Romae exstissem, quo oratio Senecae ambigua fieret, non constet. Maximum autem argumentum illud est, (quod etiam Massonus in Vita Ovidii attulit,) quod Seneca Fidum Cornelium ita ulterius ex soceri nomine designavit, non facturus, nisi P. Ovidium Nasonem, illustris-

simum poetam, qui ea quoque aetate habebatur (Senec. Quaest. Nat. III. c. 27. Vellei. Patern. II. c. 36), intellexisset. Nec denique obstat Fidi Cornelii ordo senatorius atque nobilitas, quum Ovidium summa familiaritate usum constet Sexti Pompeii (Pont. IV, 4. 5), Messalini et eius fratris (Pont. I, 7), utriusque Graecini (Pont. IV, 9. cf. I, 6) aliorumque virorum consularium, et tertiam eius uxorem e gente Maximorum ipsi Augusto Caesari fuisse cognatam (Pont. I, 2).

Utrum vero ille Fidus Cornelius primus eius coniux fuerit, an secundus, ambigitur. Ego suspicor fuisse secundum. Nam priorem probabile est, ut supra memoravimus, mature decessisse. Fidus Cornelius autem secundum illud testimonium Senecae videtur vir fuisse, qui in publicis negotiis multum, quamvis parum honeste sancteque, esset versatus. De senatoris enim moribus ea, quae de eo Seneca tradidit, intelligenda, non de vita privata ac domestica. Cum quo etiam, quod gravius est, aptissime congruit ratio temporum. Seneca enim ita de eo loquitur, ut ipse, iam senator factus, eum in senatu vidisse indignoque illi spectaculo alterius senatoris collegam tam illiberaliter tamque abiecte illudentis, alterius tam muliebriter de re tam absurda lacrimas profundentis interfuisse videatur.

Quum e loco Trist. I, 3, 18. 19, supra iam laudato, appareat, eam, cum pater in exilium proficisceretur, non praesentem, sed in Libya fuisse, ex eo collegerunt, eam coniugem suam eo esse secutam. Quod licet illo loco non disertè dicatur, tamen ex eo probabile est, quod humilis atque submissa feminei sexus apud Romanos conditio mulieres solas peregre proficisci non facile pateretur, ac saepius Romanos in provinciam abituros uxores secum duxisse constet. Sic Germanicum uxorem Agrippinam in Gallos secutam tradidit Tacitus in Annalium primo. Cum Tacito ipso uxorem longe ab Urbe atque Italia abfuisse novimus ex eius Vita Agricolae. Sed hoc dubium. Illud certum est ex illo loco Trist. IV, 10, 75. 76 et iis, quae supra de eius aetate disputata sunt, sin

vere cum coniuge illo tempore abfuit, nonnisi cum secundo eam abesse potuisse. —

Nomen eius post M. Piscenatem plerique scribunt fuisse *Perilla*, et hanc illam esse Perillam, poetriam, confirmant, ad quam scripta est elegantissima elegia Trist. III, 7. Verum pro omni fonte atque argumento habetur ipsum illud carmen: in quo ego tantum abest ut reperire quidquam possim, quod illud probet atque confirmet, ut mihi fere totum ei sententiae repugnare videatur. Argumentum carminis hoc est: Ovidius ex Ponto scribit Perillae, se adhuc vivere ac, licet in miserrima exilii conditione versetur, carmina facere non cessare, eamque blandis verbis, collaudatis simul eius virtutibus, excitat atque adhortatur, ut eximiam poematis faciendi facultatem, quam suo ductu excoluerit, ne cessatione torpere sinat, atque ab ingenio, quemadmodum ipse, perpetuam laudem famaque speret. Iam primum ipsum hoc argumentum tale est, ut suspicionem vel maximam, Perillam hanc non Ovidii esse, commovere debeat: in quo nusquam nomen patris aut dulce nomen filiae commemoratur, neque usquam quidquam rationis fidaeque familiaritatis, quae patrem inter et filiam intercedit, tangitur. Fac enim, patrem eius praestantia ingenii atque doctrinae totum captum fuisse, nihilne erat aliud, quod eidem, quam propter divinam illam facultatem magis etiam amare debebat, diceret aut mandaret? nullosne praeterea alios sensus paternos eum habuisse putemus, in illa summa sua praesertim calamitate atque solitudine, quos in fidum unicas et iam adultae filiae sinum effunderet atque deponeret? Profecto equidem existimo, etiamsi omnes paterni animi sensus adversus filiam exuisset, non ita tamen poetam ab arte et elegantia alienum fuisse, ut omne ad eam publice scribendi argumentum, in reliquis dissimulato patre, a sola artis communiione et ingenii laude aliarumque eius virtutum repeteret. Sed videamus singulos carminis locos. Ac tres potissimum sunt, quibus illa sententia

nonnihil confirmari fabulaque illa tantam apud grammaticos nacta auctoritatem videtur. Primus est (v. 11. 12):

„*Tu quoque*“, *dic*, „*studiis communibus ecquid inhaeres*,

Doctaque non patrio carmina more canis?“

ubi illud *patrio* de patre intelligendum censuerunt. Verum nihil est, quod obstat, quominus verba *patrio more non paterno, patris more*, sed *patriae more* h. e. qualis in patria aut Romae est, capienda putemus; quo sensu Nasonem *patrio more* constanter usum esse reperimus, velut *Metam.* VI, 648, XII, 11, *Pont.* I, 5, 19. Utrum vero tum illa *non patrio more* ita sint accipienda, ut et lyrico et Graeco sermone scripserit, quod quidam e v. 19 et 20.

Ergo si remanent ignes tibi pectoris idem,

Sola tuum vates Lesbia vincet opus

coniecerunt, — cui tamen interpretationi mihi quidem non nimium tribuendum videtur, quum eodem modo Nasonem Homero et Asraeo se praeferrere dixisse sciam (*Art. Am.* II, 5), quin de heroicis aut Graeco sermone cogitari possit, et, quod etiam ab aliis observatum est, iam XL annis ante poeta Venusinus aliique in Ausonia lyrica canere coepissent —, an quod *rarum Romae aut in femina Romana fere sine exemplo est*, aut aliter quaeri potest. Cave tamen ne propter illam obscuritatem ad alteram vocis *patrio* interpretationem iusto facilius inclines, quae multo obscurior est longeque difficilior explicatum habet. Si enim *non patris numeris et modis* intelligas, parum perspicua et contorta sententia est. Quod autem quidam voluerunt verbis non *patrio more* a poeta significari, illam non patris ad exemplum obscena composuisse, mihi quidem videtur omnium loci interpretationum, quae inveniri possunt, infelicissima. Sane si poeta nihil nisi turpia et obscena cecinisset, idque ipse concessisset, tum illa oratio, praeter quod parum opportuna eo quidem loco videretur, non omnino vituperanda esset. Quum autem

Ovidius quotiès de obscoenis suis carminibus loquitur — quod adhuc non observatum est — ubique, reliquis exclusis omnibus, unam tantum Artem Am. significet, nihil ea potest esse absurdius. Hoc dico ex eo loco nihil certum colligi posse, eumque maiore etiam iure in contrariam partem afferri. Alter est locus, qualis quidem hodie post Petrum Burmannum in plurimis libris legitur, v. 18.

*Primus id (ingenium) adspexi teneris in virginis
annis,*

Utque patet natae duxque comesque fui.

Sed primum illa *utque patet* — *duxque comesque fui* non satis commodum sensum exhibent. Nam etiamsi haec adeo non in publicum usum, sed, initio quidem, soli Perillae scripta esse putemus, ne sic quidem recte, certe non sine arrogancia, dici poterat: *utque patet* (scilicet ex carminibus tuis et facultate poematis faciundi) *ego tibi dux et comes fui*. Quam insulse praeterea ita nomen filiae, quod in reliquis nusquam memoratur, intulisset! Accedit, ut — nam illud fere constat caditque cum nostro iudicio de poetae elegantia — paucissimi libri manu exarati scripturam *utque patet natae* tueantur. Nam et plurimi et praestantiores plerique omnes levissima unius litterae varietate ad sensum aptissime exhibent *utque pater natae*. Qua restituta quid sequitur? Totus hic locus in contrariam partem convertitur, liquidoque hanc Perillam poetae filiam non esse declarat. Illa autem, quae tertio loco afferri possent: (v. 27 — 30.)

Forsitan exemplo, quia me laesere libelli,

Tu quoque sis poenae facta remissa meae.

Pone, Perilla, metum: tantummodo femina non sit

Devia nec scriptis discat amare tuis —

parvi atque haud scio an nullius sunt momenti: siquidem poeta eadem, ne dicam ad puellam, cuius studia ab eius laude atque exhortatione fere unice penderent, eadem cum

elegantia ad quemvis ex familiaribus et intimis, qui et ipse versus componeret, scribere potuerit. Duo igitur de tribus illis locis ambigui sunt; unum autem si veterem veramque eius scripturam revocamus, plane contrarium probare videmus.

Sed alia sunt in hoc carmine, quae ei sententiae repugnent. Huc pertinet locus ille a v. 23—26.

Dum licuit, tua saepe mihi, tibi nostra legebam;

Saepe tui iudex, saepe magister eram, etc.

quo artis societatem, quae olim ipsi cum Perilla fuerit, describit non qualis patrem inter et filiam cogitari debet, sed qualis inter amicos eidem arti deditos esse solet, et qualem ipse sibi cum Attico et Tuticano fuisse tradit Pont. II, 4 et IV, 12; et inprimis illud appositum *doctissima* v. 51, quae compellatio, si aliena Perilla intelligitur, aptissima et elegans est, sin autem ipsius poetae filia, meo quidem sensu nihil cogitari potest frigidius atque ineptius. Huc pertinet laus illa morum et formae, quae et ipsa in carmine ad puellam satis familiarem, non sine elegantia est, a patre autem filiae impertita prorsus intolerabilis et absurda est. Eodem pertinet v. 45.

En ego cum patria caream vobisque domoque —

quem locum ego sic accipio, ut illud *vobis* ad Perillam et reliquos familiares referatur, uxor et filia reliquique domestici voce *domo* significantur. Ut Pont. I, 8, 31—33 ad Severum:

Nam modo vos animo dulces reminiscor amici;

Nunc mihi cum cara coniuge nata subit:

Eque domo rursus pulchrae loco vertor ad Urbis —

quanquam hoc leve est. Omnium autem gravissimus locus hic est (v. 3. 4):

Aut illam invenies (litera) dulci cum matre sedentem,

Aut inter libros Pieridasque suas.

Quae quidem verba in Ovidii filiam, quae, ut supra vidimus,

tum cum pater in exilium abiret, domum paternam iam reliquisset, ac secundo iam nupta viro tam strenuam rei coniugali operam navasset, ut duorum liberorum mater esset, neque etiam admodum iuvenis esset, nullo modo conveniunt.

Ex his omnibus ego hoc confirmo atque contendo: hoc carmen ad Ovidii filiam scriptum non esse, sed Perillam hanc aliam fuisse puellam Romanam, incuptam, quae in domo paterna in matris tutela fidaque familiaritate viveret, otiumque suum aetatemque puellarem dulci cum Musis atque doctrina commercio transigeret, itaque, quae de nomine filiae Ovidii ac facultate poematis faciendi tradiderunt, prorsus vana falsaque esse.

V i t u s L o e r s a
